

CAP. V.

Nicolaitæ unde dicti. Erroris autem capita qua-
tuor explicantur.

Nicolaitæ à Nicolao² nominati sunt, uno, ut perhibetur, ex illis septem, quos Apo-
stoli diaconos ordinauerant. Iste cùm de-
zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, ve-
lut purgandi sibi causa permisso fertur, ut ea, qui vel-
let, vteretur. Quod eius factum in sectam² turpissi-
mæ versum est, in qua placet usus indifferens fœmina-
rum. Hi nec ab iis quæ idolis immolantur, cibos suos
separant: & alios ritus gentilium superstitionum non
auersantur. Narrant etiam quadam fabulosa de mun-
do, nescio quæ barbara principum nomina miscentes dis-
putationibus suis, quibus terreant auditores, quæ pru-
dentibus risum potius faciunt, quam timorem. Intelli-
guntur autem etiam isti non Deo tribuere³ creaturam,
sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel fingunt
vanitate, vel credunt.

I Nicolao.) Theoderetus lib. 3. hanc heresin
cōmemorat post alias multas. Quidā tamen præter
mittunt, siue quòd tam fœda & turpia huius dog-
mata essent, vt quemadmodū loquitur Tertullian-
nus, pudor sit dicere: siue quòd magna ex parte in
Gnosticis & Valentinianis (vtrique enim à Nico-
laitis profecti sunt, sed imprimis Gnosti, vt ait
Epiphanius) explicetur. Irenæus tamē, Tertullian-
nus, Eusebius & Epiphanius retinent. Et dubitari
non potest hanc aliquando fuisse, cū illius aperte
meminerit sacra Scriptura Apocalyp. 2. ver. 6. & 15.
Collocat tamen eam post Cerinthum & Ebioni-
tas Irenæus. Eusebius autem lib. 4. cap. 29. eodem